

*Mexicus interea toto celeberrima Mundo  
Ingenijs, opibusque vigens &c;*

Memoratum Feijoo secuti, rem hanc in ancipiti,  
ut videtur, habentem, licet multis suis illustratam  
de præstantiâ America ingeniorum observationi-  
bus; malumus in medio relinquere, qui primatum  
ingenia inter arrogare nostratibus, alijsque invi-  
dere gloriam Nationibus, nulli tentamus, non nes-  
cientes quam sit verum illud,

*Qui velit ingenio cedere rarus erit;*

Satisque nobis existimantes consultum iri, modò  
subsellia inter eruditos nostra, non sanè postrema,  
occupemus, qui primaria haud ambimus quidem,  
aut sapientissimis Orbis veteris & celebratissimis  
Doctoribus suffurari posse citra arrogantiaè pia-  
culum, & desipientiaè notam, optimè scimus, præ ocu-  
lisque habemus Epistolam XIII tom. IV ab lau-  
datissimo Feijoo de excessu ingeniorum, compara-  
tione inter Nationes factâ, apprimè conscriptam.

### ANTELOQUIUM XIII.

Præpropere Americanorum Ingenio-  
rum defectio conficta ostenditur, &  
ad fabulas amandatur.

**R**estat, à nostratibus præmaturo donatis in-  
genio, præproperam, quæ à multis repo-  
nitur, desipientiam abigere, cui & si refra-

fragerur laudatus M. Feijoo, ipsum impugnandi  
ergo, insistit eruditus Manier, nihili argumenta du-  
cens ab exemplis petita eorum, quos in devexâ  
ætate Feijoo retulerat iudicio pollentes & litteris,  
quòd è quatuordecim viris laudatis, unus in Ame-  
rica vitam egerit, reliqui omnes ætatem duxe-  
runt in Europa, à qua vires & ingenij constan-  
tiam mutuati fuerint. At enim, aniles inter fabulas  
ingenij defectionem Americanorum trigesimo,  
quadagesimo ve, & ulteriori ætatis anno, referen-  
das dicimus plenis, ut ajunt, buccis, & mille testi-  
bus ampliusque comprobabimus, Viros pro In-  
stituto nostro exhibentes grandævos ætate, & ju-  
dicio florentes, quorum plerique Europam ne vi-  
derunt quidem nisi in tabulis geographicis, pau-  
ci, eam salutantes, post biennium aut triennium  
nostris se laribus restituerunt, quibus non inju-  
ria proverbium aptaveris: *Senectâ Leonis præstantior  
hinnulorum juventâ.* Nam & in Academia Mexicea  
Antecessores frequenter habemus Emeritos, &  
strenuam litteris operam dantes, qui cum id ho-  
noris nancisci haud possint nisi post vicenalem  
professionem Cathedræ perpetuæ, vixque eam aus-  
picetur ullus, quin temporarijs regendis Cathe-  
dris prius incubuerit, nec has nisi 25 ætatis an-  
no, si modò felicissimus sit, assequatur in tanto  
candidatorum numero; fit, ut is qui citissimè pro-  
gressus fecerit, non ante annum quinquagesimum  
rude donatus sit. Accedit, eorum plures non statim  
requiem captare, aut ab Gymnasijs divelli posse. Sunt  
& multi Doctores quadragenarij, quinquagenarij,  
sexagenarij, ac septuagenarij, & seniores, qui diver-  
sis

sis litterarum negotijs incumbunt, Academicis, Forensibus, Medicis, Parochialibus, & id genus alijs. Sunt in Ordinibus religiosis viri docti quam plurimi litteraria exercitia colentes, & animarum tractantes negotia etiam in ætate grandiori. Ecquis enim sibi persuadeat, Lectiones, Conciones, Confessiones, cæterasque sacras functiones & eruditæ, tantum à minoribus triginta aut quadraginta annis haberi, aut deliris & insensatis viris committi? Sane in præsentiarum, ut alios mittamus, Academicos Professores Emeritos habemus 5 etiamnum ijs quæ diximus occupationibus deditos, è quibus junior annum 58 attingit, nos sexagesimum, reliqui sexagenario & septuagenario majores sunt. Angelopoli floret ac vernat septuagenario longè major M. F. Joannes de Villa Sanchez Dominicanus, Libros scribens & typis tradens, singulis diebus Dominicis è superiori loco dicens ad Rosarij, sodales, & alijs negotijs insistens. Apud Societatis JESU Provinciam degunt, Mexici P. Joannes Antonius de Oviedo 85 annum agens, Libris scribendis & edendis insistens, Confessionibus quotidie excipiendis multis ac Consultationibus, & ut præest Sodalitio, à Purissima nuncupato, percelebri, semel in hebdomada dicit è superiori loco coram lectissimâ multitudine. Angelopoli autem agit 83 annum P. Franciscus Xaverius Solchaga ijs datus Præfectus qui Exercitia S. Ignatij Loiolensis peragunt frequentissimè, in Domo ad ea destinata, piaculares audit Confessiones, Consultationibus responder gravissimis, & alijs incumbit. Possemus & alios ejusdem Instituti

tuti viros præclaros narrare etiamnum viventes, suppres proxime memoratis, septuagenarios etiam & sexagenario majores, ab edito Catalogo ipsorum facile hauriendos, quibus censendis superfedemus, nè morosi dicamur. Prætermisique eadem causâ aliorum Ordinum multis alumnis doctrinâ conspicuis, & ætate provectis, etiam modò in vivis agentibus, suppetunt narrandi grandiores biennio ab hinc retro vita defuncti. P. Jacobus de la Sierra, Congregationis Oratorij non semel Præpositus, ad mortem usque, quam opetijt 87 ætatis anno, constante capite, atque judicio excipiendis confessionibus apto, & negotijs prudentissime agendis, quicum nobis fuit consuetudo: D. Didacus Velazquez de la Cadena Equestris Ordinis Divi Jacobi, vir nobilissimus, in statu prophano excultissimus, atque insigni præditus dicendi peritiâ haudquaquam fucata, 87 itidem annum agens, ad postremam diem sibi constans & simillimus fuit. D. Philippus Caietanus de Medina & Saravia, nobili admodum natus genere, & in juventute litteras doctus, Urbis nostræ unus è Decurionibus, septuagenarius obiit repente, nec ab ingenio unquam desciverat. D. Josephus Aloysius de los Rios Emeritus Regionum Tributorum Quæstor vitam clausit anno 70, politissimo, quo fuerat ingenio, ad diem ultimam usus. Vix ante proxime convolutum semestrem occidit D. Alexius de Mendoza Regius Tabellio, fidelissimè munus suum executus & exactissimè ad extrema vitæ usque, quam clausit anno suo octogesimo tertio. Non dum bimensis lapsus est, hæc dum scribimus, à funere

D. Ignatij Ferrerij Officialis majoris in Tabulario Pro-Regis Mexiceï, quod ante annos triginta munus tam ritè gesserat, ut à singulis toto eo tempore sedentibus ad clavum Principibus ultro requisitus, maximi fuerit habitus, adeo firmà memorià, integroque judicio, ut vivum ageret indicem immensi propemodum Tabularij, deque antiquissimis monumentis rogatus, statim quæ ea essent & ubi, reponeret, usque dum octogenario major denatus fuit, pridieque mortis suæ Officinam invisit. Paulo post ad plures abiit 64 annos natus D. Antonius Calderon, de cujus omnigenâ eruditione inferius agemus. Hæc dum scribimus delatum ad nos est, extremam clausisse diem Angelopoli, ejusdem Ecclesiæ Cathedralis Decanum D. Franciscum Xaxerium de Basconcelos egregiæ pietatis virum, Marchionem de Montesserrato, octoginta septem annos natum, qui ad postremos usque menses, nedû vegetâ mente erat, & ad negotia peragenda capaci, sed mirabili etiam pro sacris precibus in Choro dicendis curâ & assiduitate. Mense vix lapsò hæc postquam exarata habueramus, cessit è vita D. Josephus Antonius Davalos & Espinosa, Equestris Ordinis Sancti Jacobi Mexiceus Decanus, unus è Civitatis nostræ Decem viris, annis exactis sexaginta novem, Historiâ delectatus atque Mathesi, Pro-Regis jussu multa & gravia Reipublicæ commodum spectantia gnaviter ad posteros usque menses accurans. Et ne omnes alios involvamus silentio, qui seculo nostro ad plures abierunt annosi & valentes judicio viros, notissimos, aliquot insinuemus par erit. Fuerunt ij D. Alphonfus Da-

va.

valos Ord. Equestris D. Jacobi, Comes de Miravalle (memorati nuper genitor D. Josephi Antonij Davalos & Espinosa) non longe à funere Prior datus Tribunali Negotiatorum, quod ille rexit egregio Reipublicæ emolumento, obiitque octogenarius. D. Petrus Ruiz de Castañeda ab Magnificentissimo SS. Virginis Guadalupix Templo percelebris, in quod extruendum magnas opes conjecit, vixit octogenarius etiam, ejusque filij, Petrus item, Franciscus, Alphonfus, & Nicolaus Præbyter, omnes adversus Guadalupanam Virginem devotissimi, sexagenarijs majores negotiaque multa strenue curantes abierunt. D. Bonaventura de Medina & Picazo, Sacerdos, cum alijs monumentis insignis, tum etiam operâ & divitijs in memorata Basilica Guadalupia positus, ultra septuagesimum annum sui compos egit. P. Franciscus Camacho, Soc. JESU, in cujus Provinciæ Mexicane Menologio extat Elogium ejus eximix virtutis, die 22 Februarij anno 1708, qua hora Gymnasiû ibat, in quo 45 annos cõtriverat, excessit 70 ætatis anno. P. Petrus de Arellano & Sosla Congr. Oratorij Præp. vir extaticus, cujus Vitâ texuimus & typis dedimus, annos egit 67, menses 10, & dies 7, nec nisi 11 ante funus dies ab audiendis confessionibus multis cessavit, aut functiones Instituti cœteras intermisit. Tandem, ut rem memoratu dignam narremus, die 14 Aprilis anni 1663 in solennibus Comitijs Mexici habitis à PP. Augustinianis electus Provincialis evasit Magister in Sacrà Theologiâ P. F. Martinus de Peralta annos natus amplius nonaginta quatuor, quo defunctus munere

fue-

fuerat 29 retro annis: nec verò opinabitur quis-  
què, cordatissimos & sapientissimos viros caput  
sibi constituisse hominem mentis impotem & de-  
lirum. Rem accepimus à Gregorio Martino del  
Guijo in Diario ab anno 1648 ad usque 1664,  
quod extat Mss in Oratoriana Mexicea. Ejus au-  
tem Continuator Diarij Robles emortualem men-  
sem Martini, tacito die, memorat anni 1665.  
Nunc verò majores nostros memoriâ reficiemus  
oportet, qui facili negotio nobis occurrerint, in  
Bibliotheca deinceps commemorandos.

## ANTELOQUIUM XIV.

Ex memorandis in Bibliotheca no-  
stra Scriptoribus aliqui enumerantur  
ætate grandiori juxtaque insigni  
pollentes ingenio.

**Q**uamvis orium nobis & facultas non fue-  
rit vestigandi natales & emortuales dies  
Scriptorum nostratum, indicabimus ta-  
men in Bibliothecâ quos citra nego-  
tium obvios habuimus, & interea pro argumen-  
to quod in Anteloquijs hisce tractamus, aliquo-  
rum ætates damus, qui sexagenarij & longe gran-  
diores fato concesserint, ingenio neququam mar-  
cido, quo usi fuere ad extremum vitæ, aut in re  
litterariâ, aut in publicis administrationibus, & id  
genus alijs judicij maturitatem, & caput benè fa-  
num ac integrum exposcentibus, quod nuper di-

ximus de ijs qui in vivis agunt Scriptoribus &  
viris clarissimis, in Bibliotheca itidem recensendi-  
dis. Ad vita defunctos quòd attinet, nuncque cu-  
ramus, agmen ducat Illmùs D. D. Alphonfus de  
Cuevas Davalos ex Episcopo Goaxacensi Archie-  
piscopus Mexicanus creatus anno ætatis suæ 74,  
qui proximè sequenti in cælum abiit integerimo-  
riorus judicio. P. Alphonfus Guerrero, Socie-  
tatis Jesu, præclarus vir, 63 anno similiter obiit  
in Domino. Illmùs D. D. Alphonfus Albertus de  
Velasco, Parochum agens Mexicanensem, & Docto-  
rem insignem, qui Causâ institerat, quæ Mexici age-  
batur, de Beatificatione V. Gregorij Lupesij, mor-  
tus est annum agens 69. F. Alphonfus de Ze-  
peda, Franciscanus, Libris immortalis est sexage-  
nario major. F. Alvarus de Paz, item Francisca-  
nus, sui compos, & sacris ministerijs intentus, se-  
xagenarius obiit. F. Andreas de Borda Francisca-  
nus, Doctor Theologus, in Academia nostra An-  
tecessor Emeritus, & in Familia sua semel &  
iterum rude donatus, longe supra septuaginta an-  
nos egit, immortalisque fuit negotijs à S. Inqui-  
sitionis Officio, pro munere quo defungebatur, cri-  
si suæ traditis. M. F. Antonius de Ayala, Au-  
gustinianus & ipse percelebris, qui septuagenar-  
io major excessit, ad postremos dies usque vivi-  
dis sensibus & acuta mente Libris valetudinem  
fallens. P. Antonius Diaz de Godoy Congreg.  
Oratorij, ætatis anno 63 decessit, quo tempore  
totus erat in perpurgandis Librorum capsis mul-  
tis, sibi ab Inquisitionis Tribunali commissis, &  
de more habendis concionibus operam dabat. D.

D. Antonius de Gama octogenario major occubuit, etiamnum Primariam, licet Emeritus, Cathedram Theologiae pro quotidianis lectionibus frequentans, & examinandis Philosophiae tyronibus pro munere intentus. Illm̄s. D. D. F. Antonius de Guadalupe Lopez Portillo Episcopus Comalaguensis, Diocesim lustrans, caelum petivit annos natus 62. D. Antonius Joseph Maria Guerro, quinque annis major sexagenario, Grammaticam multis tradit auditoribus suis. F. Antonius Mancilla, Franciscanus insignis, septuagenario major occubuit, cujus extat edita Concio doctissima paucis ante obitum mensibus à se dicta. P. Antonius Nuñez de Miranda S. J. anno 77 mortuus, litterarias & sacras res perinde tractabat ac adolescens. P. Antonius de Peralta, Societatis JESU Provinciae Novae Hispaniae Praepositus, ut huic muneri satisfaceret, ipsam visitans denatus fuit longe major sexagenario. F. Antonius Sanchez Dominicanus, sexagenarius obiit litteras curans & Parochialia officia. F. Antonius de Torizes & Cano, Franciscanus, anno aetatis 74 excessit luminibus captus, at constante judicio. F. Augustinus Betancurtius, Franciscanus, & Libris & muneribus Parochi insistens ad obitum usque octogenarius denatus fuit. M. F. Balthassar de Alcocer Mercedensis, Primarius Theologus Academicus, longe major sexagenario obiit, quotidianis Praelectionibus & id alijs incumbens. P. Balthassar Cervantes Societatis JESU, septuagenarius, integro capite & in caelum arrepto, eo se contulit. D. Bartholomaeus Philippus de Ita & Parra, decessor noster

in

in Canonicatu Magistrali, sexagenario major extinctus, nihilo sibi minor erat postremis annis sive concionaretur, sive elucubraret. Illm̄s. D. D. Carolus Bermudez de Castro Archiepiscopus Manilensis sexagenarius irem excessit summâ cum ingenij & pietatis laude. M. F. Didacus de Burgos Mercedensis ultra nonaginta annos vitam protraxit egregiâ cum vitae & doctrinae laude. D. D. Didacus de Malpartida Centeno, Decanus Ecclesiae Cathedralis Mexicae, electusque Episcopus Durangensis, ad obitum usque negotijs intentus Ecclesiae, & integro capite, anno 83 aetatis suae à nobis migravit. F. Didacus Muñoz Franciscanus annos natus 70, ubi proxime Provinciae Michoacanensis clavum tenuerat, defunctus est. M. F. Didacus Velazquez de la Cadena, Ordinis S. Augustini, in Academia Mexica Primarius & Emeritus Theologiae Antecessor, septuagenario major ad plures abiit, ad extremumque Provinciae suae Oraculi instar prudentissimi fuit. M. F. Didacus de Villarubia ejusdem Ordinis in Provincia Michoacanensi anno aetatis 60 integerrimo pollens judicio excessit. F. Emmanuel de Arguello, Franciscanus notissimus, nunquam non pulcherrimo ingenio fuit, vixitque ultra annos 70. P. Emmanuel Lobo Societatis JESU vitam amplius 70 annos traxit, unâque ingenium atque judicium. P. Felicianus Pimentel ejusdem Ord. similiter habuit se ad annum usque aetatis 72, quo fuit defunctus. P. D. & M. Franciscus Antonius Ortiz ejusdem Societatis, Academiae nostrae Decanus Doctorum Canonistarum & Philosophorum,

\*

ul-

tra annum 80 ingenium vegetum vividumque protraxit. D. Franciscus de Ayerra S. Maria, delicatissimo vir ingenio, eo usus est ad extremum vitæ, quam clausit annos natus 78. M. F. Franciscus de Burgoa Dominicanus, post annum 70 defunctus, ad obitum usque Præfecturas strenue gessit. M. F. Franciscus Pareja, Ordinis Mercedensis, Provinciæ Mexicanæ non semel Provincialis, Decanus inter Doctores Theologos Academiæ nostræ, peræque dierum & ingenij plenus excessit, similiterque P. Franciscus Ramirez Societatis JESU 70 ætatis anno denatus fuit. P. Franciscus Roa, ejusdem Societatis, tertium Provincialis Familiæ suæ in Provincia Philippinarum, ipsam ex munere iustraturus, naufragio periit septuagenarius. D. Gabriel de Mendieta Rebollo, à Secretis Urbis Mexicæ, mortem aspexit octogenario major, & adhuc publico muneri, quod gerebat, strenuè incumbens. M. F. Gabriel Pareja, Ordinis Mercedensis Theologus, septuagenario major extinctus est, ad quam usque ætatem confessiones, Monialium præferrim, excipere solenne habuit, multaue floruit eruditione. P. Gaspar de Carbajal Societatis JESU, postquam in ipsa annos circum 60 posuerat, ingenio præstans & meritis in cœlestia transiit. P. Hieronymus de Figueroa ejusdem Ordinis, placidissimè obiit ætatis suæ anno 79 integro prorsus animo & in Deum intento. P. Jacobus de Zamora, Societatis etiam JESU, longe major sexagenario ad plures abiit, in paucis habitus florentissimo perpetuum ingenio. P. Joachimus Antonius de Villalobos  
fere

fere septuagenarius eximiâ erat in dicendo è superiori loco facundiâ. P. Joannes Anronius de Mora Jesuita item præclarus, præclaro etiam ingenio ad mortem usque fuit, quam aspexit non longe à septuagesimo ætatis anno. Illmûs. D. D. F. Joannes Baptista Alvarez de Toledo, Episcopus Goatemalensis, senio licet confectus & obesitate corporis iter arripere in Novam Galliciam impos, Goadalaxarensi Episcopatu unâque Goatemalensi cesserit, mentis tamen satis superque compos, jussus est à Rege Goatemalensibus infulis postliminio restitui, quibus morte preventus, convestiri fuit impeditus. Illmûs. D. D. Joannes Cano Episcopus Jucatanensis annos natus 78 defunctus, munus suum exactè & præclare gessit. P. Joannes Carnero Soc. JESU, 63 anno ætatis fato concessit, ante quod triduo, concionatus fuerat doctissimè ac piissimè totos dies 7 in honorem S. Francisci Xaverij. P. Joannes de Estrada ejusdem etiam Ordinis Provincialis in Nova Hispania, octogenario major decessit, nec ingeniosissimo ac prudentissimo sibi dissimilis. Illmûs. D. D. Joannes Ignarius de Castorena, Præsul Jucatanensis, ingenio conspicuus ad mortem usque fuit, quam opetit sexagenario major. D. D. Joannes de Salcedo Emeritus Antecessor Sacrorum Canonum, Decanusque Ecclesiæ Cathedralis Mexicæ, qui à Secretis fuerat Concilij Mexicani IV aliâ III octogenarius obiit anno 1626 tam constanti sibi capite, ut quadriennio proximè antecedenti Episcopales infulas auspiciatus ei fuerit. Illmûs. D. D. Joannes de la Serna, Archiepiscopus Mexicanus, in præ-

fixa Concilio Epistolâ, quas ei decrevit Rex, sero li-  
cèt, & postquam ille fato concesserat. P. Julianus Gu-  
tierrez Davila Cong. Orat. Præpositus obiit qua-  
tuor annis sexagenario major, quo tempore &  
Libros scribebat, & à Confessionibus & Consul-  
tationibus Theologicis erat Illm. Archiepiscopi  
Mexicani. D. Ludovicus de Becerra Tanco ul-  
tra septuagesimum annum vitam duxit, & sexen-  
nio antea, anno 1666, primùm ediderat, deinde  
locupletiorē fecerat Historiam Virginis Guada-  
lupæ Mexicæ, nuper à Madritanis doctissimis  
Criticis probatissimam & reculam. D. D. Lucas  
de Berdiguer Decanus Collegij Theologorum Me-  
xiciæ ferme septuagenarius tam doctè agebat è  
sacro suggestu, quam pridem dixerat. D. Marcus  
Josephus de Salgado, Primarius & Emeritus Me-  
dicinæ Antecessor, nec minor septuagenario emi-  
gravit, nec imminutus ingenio aut eruditione. In  
eâdem constitutus ætate mortem latus aspexit P.  
Mathias Blanco Societatis Jesu, magnum inter  
Theologos nomen, nec diu ante funus Sodalitium  
Purissimæ Virginis accuraverat, & Concionibus se-  
mel in hebdomada habitis graviter edocuerat. P.  
F. Mathias à S. Joanne Baptista, nudipes Carme-  
lita, primo supra septuagesimum anno defunctus  
est, quo tempore Sacras Litteras è Cathedra do-  
cebat, Scholæ restitutus, diu olim à se exultæ, post-  
quam Provinciæ suæ clavum tenuerat. P. Nicolaus  
de Segura Societatis Jesu, longè major sexage-  
nario occubuit ea ipsa die, qua concionatus fue-  
rat, & multis de more negotijs gravissimis operam  
suam navarat. P. Nicolaus Zamudio Societatis item

sxxii

P. Jacobus Antonius de Villalobos JESU

JESU

JESU non minoris ætatis, afflictâ licèt valetudine,  
in sellâ gestatoriâ ad Ecclesiam delatus ad Soda-  
les Bonæ mortis non semel dixit proximus mor-  
ti. P. Paulus de Salceda, Ordinis ejusdem Pro-  
fessor, ad mortem usque, quam subiit quinto su-  
pra sexagesimum anno, mirabili, quo donatus  
fuerat ingenio, floruit. D. D. Petrus Ramirez  
del Castillo, Capituli Metropolitanæ Mesocho-  
rus, Decanusque electus, longè supra sexagin-  
ta annos natus decessit, etiamnum in alijs &  
in latina Poesi excultissimus. P. Petrus de Velas-  
co Societatis Jesu anno vitæ suæ 68 semestri ab-  
gesta à se præfectura Provinciæ, gravissimis rebus  
jussu Generalis Præpositi intentus, cælum petivit.  
M. F. Stephanus Navarro Dominicanus, qui ad  
87 usque annum Libris majorem diei partem da-  
bat in cellâ suâ abditus, consultusque à Sodali-  
bus propterea rædior erat multis, quod fusissimè de  
singulis quæsitis ageret, & redundanti afflueret do-  
ctrinâ, biennio ab hinc retro occubuit. M. F. Seba-  
stianus à Santander, item Dominicanus, ad senium  
usque & octogesimum primum ætatis annum apud  
Goaxacenses è Cathedra docuit tyrones. In eâdem  
ferme ætate decessit F. Sebastianus Castrillon Gal-  
lo, nudipes Franciscanus, singulari vir ingenio,  
& ad obitum usque florenti. Ejusdem Instituti  
Professor F. Thomas de Velasco sexagenarius  
obiit Mexicæ Cœnobij Præfecturâ clarus & in-  
genij vigore conspicuus. Possemus longius pro-  
gredi, non absque Lectorum fastidio, & mole-  
stia nostrâ, indicantes Scriptores ingenio juxta  
præstantes & eluebrationibus ac muneribus ad se-  
nium

lvy

\*

num

pium deductis; cū tamen rei superfedemus, fa-  
tis superque, ni fallimur, commostrato, ingeniorum  
defectionem, quæ nobis appingitur, ad fabulas re-  
legari oportere. Nec ullum nobis facessit nego-  
tium, quod citatus Manier in Defectionis Ameri-  
canorum ingenij patrocinium ab confessione Me-  
xicani D. Joannis Antonij de Haumada haurit.  
Multa enim reponimus validissima quidem momen-  
ta. Nam & si verum sit, nonnullos studijs dedi-  
tos ad trigessimum usque annum, deinceps Paro-  
chiali contentos Beneficio, præter quod nullam  
sibi pollicentur mercedem laboris, excolendis ul-  
terius litteris, nisi pro adimplendo munere suo,  
desistere, id porro quis dicat ingenij defectionem?  
Omnes certe cordati dicent inertiam animi at-  
que segnitiam, quam ubi exuerint, ut fit non ra-  
rò, utuntur ingenio haudquaquam emortuo, sed  
semisopito. At & desidiam istam paucorum esse  
ex his patet, quæ nuper scripsimus, luculentiusque  
ex narrandis in Bibliotheca nostra patebit, rura-  
les, etiam Parochos Libris, deditos commonstran-  
te. Tum, si quod est in ea studij remissione vitium,  
per omnes latè Nationes serpit, apud quas multi  
Libris se abdicant, nisi vel ab officio urgeantur  
& munere, quod publicè gerunt, vel ab obti-  
nendi præmium spe invitentur, quæ ubi nulla ip-  
sis subluceat ( ut aliquibus nostris longissimè à Cu-  
ria Regis distat ) cultura litterarum subducunt se,  
quin propterea deliri audiant, aut ingenio or-  
bati dici citra injuriam possint, aut credi mentis  
impotes. Quid verò audiant nostratum permulti,  
quos è Bibliotheca hauriet curiosus Lector, qui  
quia vel

vel Instituti, quod profitentur, ratione, vel for-  
tunæ, ut dicitur, aversæ ac sinistra causâ, nullum  
sibi manus publicum adpromittunt, non divitias  
aucupantur, non honoribus inhiant, & nihilo ta-  
men minus Libris incanescunt, quos diurnâ ver-  
sant nocturnaque manu? Hercle, nemo non di-  
cet, istos deperire sapientiam, & eximios litterarum  
esse amatores. Id exploratum habent Europæi vi-  
ri nobiscum consuetudine juncti, è quibus me-  
moratus supra Doctor Complutensis Peralta Ca-  
stañeda, longo & plusquam vicennali domicilio  
Angelopolitano doctus, fatetur in citato proemio,  
imposturam esse, creditam nostratum defectionem  
ingenij, eosque qui studijs valedicunt & severio-  
ri litterarum cultura, egestate compulsos iri, ac  
præmij desperatione. Nam & si Catholicus Rex  
ejusque Consilium Indiarum benemeritos viros  
honoribus augeat atque muneribus, eos ubi per-  
fectos habuerit, obstantente tamen distantia, sero  
tandem plerumque à nostratibus gesta in Curiam  
subintran. Maneat igitur ad fabulas amandata  
Americanorum ingeniorum defectio eis à multis  
impacta anno ætatis 30, quam vel sexagesimo  
etiam anno vulgi instar cantinellæ habet P. Pe-  
trus Murillo Velarde, Granatensis, Societatis Je-  
su in Geographia historica lib. 9. cap. 16. pag.  
271, licet non admodum in res nostras pronus,  
cujus gratiâ sequens par est instituamus

Anteloquium.